

nudus existens a Joseph cooperitur. In novo autem ponitur monumento (ut Hieronymus dicit¹), ne post resurrectionem, cæteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. Potest autem et novum sepulchrum, Mariæ virginalem uterum demonstrare. Per hoc etiam datur intelligi, quod per Christi sepulturam omnes innovamur, morte et corruptione destructa.

In monumento autem exciso in petra conditus est (ut Hieron. dicit²) ne si ex multis lapidibus ædificatum fuisset, tumuli fundamentis suffossis, ablatus furto diceretur. Unde et saxum magnum, quod appositum fuit, ostendit quod non absque auxilio plurimorum sepulchrum potuisset reserari. Si etiam sepultus fuisset in terra, dicere poterant: Suffoderunt terram, et furati sunt eum, sicut Augustinus dicit³. Significatur autem mystice per hoc (ut Hilarius dicit⁴) quod per Apostolorum doctrinam in pectus duritiæ gentilis quodam doctrinæ opere excisum Christus infertur, rude, scilicet, ac novum, et nullo antea ingressu timori Dei pervium. Et quia nihil præter eum oportet in pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur. Et sicut Origenes dicit⁵, non fortuito scriptum est quod Joseph involvit corpus Christi sindone munda, et posuit in monumento novo, et quod advolvit lapidem magnum, quia omnia, quæ sunt circa corpus Jesu, munda sunt, et nova, et valde magna.

COMMENTARIUS.

1. Dubium circa testimonium Joan. 19.—Littera est clara, et de re ipsa nonnulla dicemus disputatione sequenti. Solum est hic annotandus locus ille Joan. 19, quem D. Thomas attingit in solutione ad 2. in quo dicitur, Nicodemum adduxisse quasi libras centum confectio- nis myrrhæ et aloes. Quia non solum superfluum (ut D. Thom. argumentatur), verum etiam incredibile apparet, tot libras unguenti in unius corporis unctione fuisse consumptas.

¹ Super hoc verbum Matth. 27, tom. 9, et Bed., c. 94, super Lucam.

² Super hoc verb. Matth. 27, t. 9, et Beda super Luc.

³ In vig. Paschæ, in serm. 2, a med., om. 40.

⁴ Can. ult. in Matth., non multum procul a fin.

⁵ Homil. 25 in Matth., in ult. fol. hom., om. 3.

Propter quod aliqui existimarunt libram eo loco non significare mensuram ponderis, sed nummi; ut sensus sit, ad unguendum Christum, adductum esse unguentum, quod centum libris fuerat comparatum. Sed hæc expositio non placet, tum quia non quadrat contextui, tum etiam quia non solvit difficultatem. Nam centum libræ argenti etiam videri potest nimia quantitas pecuniæ. Adde, nomen libræ in ea significatione, pro quantitate et mensura pecuniæ non esse admodum generale, sed in paucis nationibus usurpari. Unde neque apud Latinos antiquos fuit in usu in ea significatione, neque in Scriptura sacra reperitur. Dicunt ergo alii illas libras fuisse minoris quantitatis quam sint nostræ; et Medina hic asserit fortasse apud Judæos libram unciam fuisse. Sed non oportet hoc dicere sine fundamento. Nam, licet verum sit non omnem libram easdem uncias habere, tamen certum est quamlibet pluribus uncias constare, et frequentius constituisse duodecim.

2. Responsio.—Nicodemus magnifice Christi corpus aromatibus condidit ac sepelit. — Dicendum est ergo Nicodemum fuisse virum divitem, nobilem ac potentem, et (ut Chrysostomus ait, hom. 84 in Joannem) voluisse sepelire Jesum, non ut reum, sed magnifice, tanquam magnum aliquem atque admirandum virum, et ideo magnam copiam myrrhæ ac aloes attulisse, ut Christi corpus conderetur, sive tota illa quantitas consumpta fuerit in illa unctione (hoc enim Evangelistæ non exprimunt), sive non solum corpus, sed etiam locum, ac pavementum sepulchri eo liquore perfuderit; id enim fieri etiam potuit, quamvis scriptum non sit.

ARTICULUS III.

Utrum corpus Christi fuerit in sepulchro incineratum¹.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod corpus Christi in sepulchro fuerit incineratum. Sicut enim mors est pœna peccati primi parentis, ita etiam et incineratio; dictum est enim primo homini post peccatum: Pulvis es, et in pulverem reverteris, ut dicitur Genes. 3. Sed Christus mortem sustinuit, ut nos a morte

¹ Infra, q. 53, art. 1, corp., et ad 1; et 3, d. 21, q. 1, art. 2, et q. 2, art. 1, ad 1; et opuse. 2, c. 235, et op. 60, c. 20.

liberaret. Ergo etiam incinerari debuit corpus ejus, ut nos ab incineratione liberaret.

2. Præterea, corpus Christi fuit ejusdem naturæ cum corporibus nostris. Sed corpora nostra statim post mortem resolvi incipiunt, et ad putredinem disponuntur, quia exhalante calido naturali, supervenit calor extraneus, qui putrefactionem causat. Ergo videtur quod similiter in corpore Christi acciderit.

3. Præterea, sicut dictum est¹, Christus sepeliri voluit, ut daret hominibus spem resurgendi etiam de sepulchris. Ergo etiam incinerationem pati debuit, ut spem resurgendi incineratis post incinerationem daret.

Sed contra est quod in Psal. 15 dicitur: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quod Damasc. exponit in lib. 3², de corruptione, quæ est per resolutionem in elementa.

Respondeo dicendum, quod non fuit conveniens corpus Christi putrefieri, vel quocumque modo incinerari; quia putrefactio cujuscunque corporis provenit ex infirmitate naturæ illius corporis, quæ non potest amplius corpus continere in unum. Mors autem Christi (sicut supra dictum est³) non debuit esse ex naturæ infirmitate, ne crederetur non esse voluntaria; et ideo non ex morbo, sed ex passione illata voluit mori, cui se obtulit sponte. Et ideo Christus, ne mors ejus naturæ infirmitati adscriberetur, noluit corpus suum qualitercunque putrefieri, aut qualitercunque resolvi; sed ad ostensionem virtutis divinæ voluit corpus illud incorruptum permanere. Unde Chrysostomus dicit⁴, quod viventibus aliis hominibus, his, scilicet, qui egerunt strenue, arriident propria gesta; his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contrarium; nam ante crucem omnia sunt mæsta et infirma; ut autem crucifixus est, omnia clariora sunt facta, ut noscas non purum hominem crucifixum.

Ad primum ergo dicendum quod Christus, cum non esset subjectus peccato, neque morti erat obnoxius, neque incinerationi; voluntarie tamen mortem sustinuit propter nostram salutem, secundum rationes supra dictas⁵. Si autem corpus ejus fuisset putrefactum vel resolu-

¹ Art. 1 hujus quæst.

² Lib. 3 Orth. fid., c. 28.

³ Q. præc., art. 1, ad 2.

⁴ In tractat. qui dicitur, adversus gentiles demonstratio quod Christus sit Deus, parum ante med., tom. 5.

⁵ In corp. art., et q. 50, art. 1.

tum, magis hoc fuisset in detrimentum salutis humanæ, dum non crederetur in eo esse virtus divina. Unde ex persona ejus in Psal. 29 dicitur: Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? quasi dicat: Si corpus meum putrescat, perdetur effusi sanguinis utilitas.

Ad secundum dicendum, quod corpus Christi quantum ad conditionem naturæ passibilis putrefactibile fuit, licet non quantum ad meritum putrefactionis, quod est peccatum. Sed virtus divina corpus Christi a putrefactione præservavit, sicut et resuscitavit a morte.

Ad tertium dicendum, quod Christus de sepulchro resurrexit virtute divina, quæ nullis terminis coarctatur. Et ideo hoc, quod a sepulchro surrexit, sufficiens argumentum fuit, quod homines erant resuscitandi virtute divina, non solum de sepulchris, sed etiam de quibuscunque cineribus.

COMMENTARIUS.

1. Christi corpus in sepulchro non est in cineres solutum. — Respondet D. Thomas negando Christi corpus in sepulchro in cineres redactum esse. Quæ assertio certa est secundum fidem, quam D. Thomas, in argumento Sed contra, probat verbis Psal. 15: Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Quæ cum Damasceno, lib. 3 de Fide, c. 28, de Christo interpretatur, et de corruptione, non hominis per mortem, sed humani corporis jam mortui, per putrefactionem et resolutionem in elementa. Quæ est expositio omnium Patrum in illum locum, Augustini, Hieronymi, Basilii et Theodoretii. Et omnino certum est hunc esse proprium ac litteralem sensum, cum Petrus, Act. 2, ita sit hunc locum interpretatus: Propheta (inquit) cum esset, et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, nec caro ejus vidit corruptionem. Eodem modo exposuit hunc locum Paul., Act. 13, ubi probat non posse de Davide intelligi: David enim (inquit) in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormivit, et appositus est ad patres suos, et vidit corruptionem; quem vero Deus suscitavit, non vidit corruptionem. Ex quibus etiam testimoniis evidenter colligitur sermonem esse de prædicta corruptione corporis jam mortui, tum quia loquens Paulus de Davide hæc condistinguit, dicens eum et mor-

tuum esse, et vidisse corruptionem. Tum quia loquens de Christo, et supponit eum mortuum esse, cum resurrexisse affirmet, et negat vidisse corruptionem.

2. Ratio præterea, qua D. Thomas confirmat assertionem, est optima. Summa ejus est, quia, sicut non decuit Christum corporis morbis et infirmitatibus subiacere, aut ex ægritudine mori, ne videretur hæc necessitate potius naturæ quam voluntate pati, ita non decuit post mortem pati corruptionem, ne mors ejus naturæ infirmitati adscriberetur. Et in solutione ad primum, addit rationem aliam. Nam Christus mortem assumpsit propter nostram utilitatem; corporis autem mortui corruptio non erat nobis necessaria aut utilis, quia per illam nec mereri jam poterat, nec satisfacere; quin potius posset esse nobis impedimento, si propter hujusmodi corruptionem corporis, quispiam aut de veritate voluntariæ mortis resurrectionisve, aut de virtute divinitatis illi corpori conjunctæ dubitaret. Atque in hunc modum interpretatur illud Psal. 29: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* id est, si descendero, seu si corpus meum putrefiat, impediatur fructus et utilitas sanguinis effusi. Quo sensu interpretantur etiam hæc verba Augustinus et Hieronymus. Et est satis accommodatus sensus, quamvis spiritualis magis quam litteralis videatur. Tertia conjectura, et satis litteralis, addi potest. Quia cum corpus Christi paulo post esset suscitandum, non oportuit eum in cinerem redigi. Ut enim Origenes notat, lib. 2 contra Celsum, ideo Christus non permisit ossa sua confringi, sed integrum corpus manere voluit, ut significaret cito esse resurrecturum; multo magis ergo permittere non debuit corpus suum putrefieri, aut in cineres solvi.

3. *Corpus Christi defunctum suapte natura obnoxium corruptioni.* — In solutione ad secundum sentit D. Thomas corpus Christi mortuum, ac suæ naturæ relictum, naturaliter fuisse corrumpendum, atque adeo divinæ virtutis fuisse omnino incorruptum conservari. Quæ sententia communis est Theologorum in 3, dist. 21 (ubi præsertim videri possunt Scotus et Gabriel), et omnino indubitata videtur. Quia necessario sequitur ex vera compositione mortalis corporis ex quatuor elementis atque humoribus. Quocirca sicut in priori tomo, q. 14, ostendimus, Christi corpus mortale, sublata omnipotentia divina, necessitate quadam naturali fuisse subjectum

passionibus corporis, ita dicendum est de corpore jam defuncto quoad ulteriorem corruptionem ac resolutionem, nisi divina virtute specialiter conservaretur.

4. *Objectio.* — Contra hanc vero doctrinam citari solet Henricus, Quodl. 12, quæst. 12, dicens, corpus illud ex vi solius unionis non potuisse naturaliter corrumpi hoc genere corruptionis. Cui sententiæ favet Damascenus, lib. 3 de Fide, cap. 28, dicens corpus Christi fuisse incorruptibile illo genere corruptionis. Sed in hoc non potest esse inter Catholicos controversia, nisi fortasse in modo loquendi. Et imprimis Damascenus seipsum exponit, dicens: *Secundo corruptionis significatu* (scilicet per resolutionem) *incorruptibile, hoc est, interitus expers corpus Domini confitemur, quemadmodum pii Patres nobis tradiderunt*; solum ergo appellat incorruptibile, quia secundum divinam providentiam non potuit talem corruptionis modum pati. Quod recte exposuit Elias Creten., super orat. 1 Nazian., his verbis: *Cum Domini corpus, ut communem cum omnibus essentiam habens, mortale esset, proinde etiam ut alia similia, mortem obibat; at vero ob Verbi in ipsum insensionem, non jam, ut ipsius naturæ consentaneum erat, corrumpebatur, verum ob inhabitantem in ipsum Deum Verbum, a labe, a corruptione integrum servabatur. Atque admirabili modo hæc duo concurrerunt, nempe ut omnium hominum mors in Dominico corpore impleteretur, et item mors ac corruptio propter socium Verbum extingueretur.* Quocirca, cum hoc genus providentiæ et præservationis esset quodammodo debitum ratione unionis, potest dici quodammodo naturale, non quia sola unio per se ac formaliter sumpta sufficeret ad præservandum illud corpus a corruptione, nec quia intrinseca dispositio et qualitas illius corporis natura sua non esset corruptioni obnoxia. Neque enim existimandum est corpus illud statim post animæ separationem fuisse aliqua intrinseca qualitate affectum, quæ vim haberet resistendi omni corruptenti, omnemque peregrinam alterationem impediendi; hoc enim sine ullo fundamento vel auctoritate fingeretur. Hujusmodi enim dispositionem consecutum est illud corpus per resurrectionem; antea vero tale permanens, quale exterius apparebat; et ideo lancea aperiri potuit, et potuissent etiam crura ejus confringi, si Deus permitteret, et potuit etiam frigefieri; ac denique de facto passum est hujusmodi alterationes, usque ad illum gradum,

in quo naturaliter posset conservari absque ulla putrefactione. Neque Henricus, loco citato, docet oppositum; imo expresse dicit quod illud corpus esset putrefactum cursu naturali, et miraculose fuerit præservatum. Addit vero, hoc miraculum sequi ex priori unione, et ideo fuisse futurum divina providentia ita ordinante, etiam si diu dilata esset resurrectio. Sine causa ergo Scot., in 3, d. 21, quæst. unica, Henricum reprehendit, et cum eo de modo loquendi potius quam de re ipsa content.

DISPUTATIO XLI,

In tres sectiones distributa.

DE HIS QUÆ POST MORTEM CIRCA CHRISTI CORPUS FACTA SUNT.

In superioribus disputationibus usque ad Christi mortem explanandam pervenimus; reliquum ergo est, antequam de resurrectione dicamus, ut de partibus separatis, corpore, scilicet, et animo, quid videlicet in utraque illo tempore actum sit, inquiremus. Tria vero potissimum sunt quæ ab Evangelistis narrari videntur facta circa corpus Christi defunctum. Primo, quod latus ejus lancea apertum sit; deinde, quod depositum fuerit de cruce, et præparatum ad sepulturam, ac demum sepultum. De his igitur dicendum est, et obiter adjiciendum quoque quid B. Virgo in hoc mysterio passa sit, ut quamdam vulgi opinionem corrigamus ac refellamus.

SECTIO I.

Utrum Christi corpus in cruce pendens post mortem fuerit ita lancea vulneratum, ut ex latere ejus sanguis et aqua manaverint.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia non videtur decuisse ut Christus post mortem novum vulnus acciperet, quia solum propter peccata nostra vulneratus est, ut eis mederetur; vulnus autem post mortem susceptum non poterat esse medicina peccati, cum neque rationem meriti neque satisfactionis habere posset. Simili enim ratione dicemus inferius, animam Christi post separationem a corpore nihil amplius passam esse; et D. Thom. fere eodem discursu intulit non debuisse Christi corpus in cineres redigi. Et confirmatur: nam, sicut decuit Christum ante mortem ab hominibus illudi et injuriose tractari, ita etiam decuit post mortem honorari, ut ejus virtus et

divinitas ostenderetur, ut Chrysostomus etiam notavit in demonstratione quod Christus sit Deus. Et hac ratione, speciali Dei providentia factum est ut honorifice sepeliretur; ergo. Propter hanc fortasse causam, quidam hæretici dixerunt Christi, corpus ante mortem fuisse lancea vulneratum. Cujus hæresis auctor dicitur fuisse Petrus Joannes, ut refert Guido Carmelita; et ex illo Castrus, lib. 5 contra hæres., verbo *Christus*, hæres. 10; et Præteolus, lib. 14 Elenchi hæresum, in 20.

2. *Corpus Christi post mortem de cruce pendens lancea perforatum.* — *Corpus suum Christus lancea aperire cur permisit.* — Dicendum vero est primo, corpus Christi post mortem, antequam de cruce deponeretur, lancea vulneratum esse, ejusque latus apertum. Assertio est de fide, quam contra prædictam hæresim definivit Clemens V, cum Concilio Viennensi, in Clem. de Summa Trin. et fide Cath., et probatur expressis verbis Joan. 19: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit.* Quæ verba, licet expressa sint, tamen ab illo hæretico ita corrupiebantur, ut per recapitulationem postrema verba exponeret, et loco illius præteriti, *aperuit*, poneret præteritum perfectum, *aperuerat*, ut facilius posset referri ad illud tempus in quo Christus adhuc vivebat. Quam falsam interpretationem damnare voluit prædictum Concilium, cum dixit: *Nos igitur ad tam præclarum Evangelistæ testimonium, et Sanctorum Patrum ac Doctorum communem sententiam, Apostolicæ considerationis (ad quam duntaxat hæc declarare pertinet) faciem convertentes, sacro approbante Concilio, declaramus prædictum Apostolum et Evangelistam Joannem rectum in præmissis facte rei ordinem tenuisse, narrando quod, Christo jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit.* Et verba Joannis satis convincunt, nam exponere, *aperuit*, id est, *aperuerat*, non est interpretari, sed corrumpere Scripturam. Deinde, adversativa illa, *sed unus militum*, etc., plane ostendit id factum esse ab uno milite, postquam alii decreverant Christi crura non frangere, eo quod eum jam mortuum invenissent. Ratio vero hujus facti si ex parte militis percutientis inquiretur, dicere possumus cum Chrysostomo, hom. 84 in Joan., et Cyril., lib. 12, cap. 39, id fecisse, ut vel exploraret an vere Christus mortuus esset, vel certe, si non esset, ut eum omnino interficeret, quod facere etiam potuit ut Ju-